

*Teneramunda.*

*Teneramunda* nomen habet à fluvio *Tenera*, Belgis *Denne*, & vocabulo *Mond*. Sita est enim ad ipsum os five ostium ejus fluminis, qua *Scaldim* id influit. Distat Gandavo, *Bruxella*, *Mechlinia*, pari quinque milliario, & prægrandium quidem, intervallo. Oppidum situ & arte munitissimum. Conficiuntur hic magna copia panni illi *gossipini*, quos *fustaneos* vulgo vocant. Mercatus hinc lini est hebdomadalis, quali etiam gaudet *Fanum Divi Nicolai*, pagus insignis *Wafia*, *Teneramunda* non procul distans. Est autem *Teneramunda* una cum territorio circumjecto peculiaris, atque distincta ditio, quæ dominio Principum Flandriæ, matrimonii jure accrevit, avo *Guidonis Dampetra*. Vnde avulsam alia quadam affinitate Flandriæ rursus univit *Ludovicus Malanus*, ducta in uxorem *Margareta Brabantina*. Territorium *Teneramundæ*, sive *Dendremundæ*, *Scaldis*, *Teneræ*, *Durmæ*que ex pago *Winckela* oriundi subvectionibus, & *Abbatia Zwineca Bernardina* instructum, pagos 15 includit, in iisque *Basserodam* gentis *Halewinæ*, statione navium in *Scaldi* celebrem: *Laernam* arce conspicuam: *Hamnam*, cui trans *Scaldim* adjacet

*Terra Bornhemia.*

*Terra Bornhemia*, *Brabantiam* versus; quæ olim *Burggravi Gandensis* erat, & tres pagos cum arce *Bornhema* complectitur, in quibus *Hinghena* est, gentis *Schettorum Grobbendonckæ*.

*Gerardomontium.*

*Gerardomontium* Flandri vocant *Geertsberghe*, Galli corrupte *Grandmond*. Situm est ad eundem *Teneram*, & *Aldenarda* dumtaxat tribus, *Teneramunda* vero quinque leucis abjunctum, perexiguum quidem, sed amœnum valde oppidulum. Conditum fertur à *Balduino Montensi*, *Comite Flandriæ*, anno 1068, quo tempore de illustri quodam Dynasta, ut ajunt, *Gerardo*, victoriam reportaverat, cui recens oppidum fecit cognomine. *Gerardomontensis* fuit *Marcus Nævianus* vir insigniter doctus, & complurium operum scriptor.

Sed quia tabula hæc præter *Flandriam Imperialem* & *Proprietariam*, continet etiam *Castellaniam Audenardæ* & partem *Curtracensis Castellaniæ* versus *Deinsam*, è proposito duxi, descriptionem ejusdem *Castellaniæ Audenardæ*, & oppidi *Deinsæ* hic addere, referens *Curtracum* in *Flandriam Gallicanam*, quia tabula illa *Decanatum* ejusdem exhibet.

*Audenarda.*

*Aldenarda* igitur sive *Audenarda*, Belgis *Oudenaerde*, nomen traxit ab *Ald*, sive *Aud*, vetustatem signantibus synonymis, & *Nær*, per diphthongum, pro *Nær*: hoc est, ab antiquis *Nerviis*; quorum curia fuisse existimatur: ad quam *Ambiorix*, postredie quam *Advaticos* allocutus

esset, scribitur appulisse; & hinc improvisus castra *Q. Ciceronis* invasisse. Oppidum sanè concinnum, munitum, & mercimoniis floridum. Fiunt hic inter alia plurimi variorum generum & pretiorum tapetes, & pene immensa vis linteorum. Distat Gandavo quinque, & *Tornaco* septem milliariibus. Temporum bellorumque injuriis valde imminutum, annum circiter 489 *Gothi* munierunt, ceu repagulum *Scaldis* contra *Gandenses* à *Vandalis* occupatos. Quam opportunitatem *Flandriæ* postea *Principes*, quoties in *Gandenses* belligerarunt, arripuerunt; magnis hujus oppidi tum jacturis, tum constantiæ ornamentis. Fuit enim anno 1379, quatuorque post annos, à *Gandensibus*, *Principis Malani* adversariis, inopinato capta atque spoliata. At, circa easdem tempestates ab eorum exercitu ex tota pene *Flandria* collecto, frustra bis obsessa atque oppugnata. Decus illi adferuntur illustria *Comitia* hic indicta; tam à *Balduino Libano*, ubi legati *Hollandiæ*, *Roberto* minori ejus filio viduam *Florentii* primi in matrimonium, liberos in tutelam, *Hollandiam* in administrationem obtulerunt; quam ab ejus filio *Montano*, ante mortem liberos nobilitati sacerdotioque commendante: tum sedes figendæ aulæ, per *Ioannem Digeonium* electa; quum domicilium in *Flandria* se constituturum, sub inaugurationem, *Flandris* stipulantibus addixisset. Nata est inter alios viros claros, in hoc oppido, illustris herois *Margareta Austriaca*, *Philippi I*, *Catholici Regis* soror, & *Belgicæ terræ* gubernatrix.

*Castellania Audenardensis* celebris est communitatibus *Scaldis*, eique adjacentibus *pascuis*, & *Abbatia Einhamia Benedictina* virili, anno 1063 inchoata, auctore *Balduino Lilano*; *Flandriæ* Principe, *castellumque Einhamum* attribuyente: neque non altera *Magdendale* (quod vallem *virginæam* sonat) *Bernardina* fœminea. Pagos numerat triginta tres: in iisque *Heyna*, collegio *Canonicorum* ornata, & *Antonii Ciscaldani*, *Bossuutique* *Baronias*: *Vichtam* nobilis domus, *Marescalco* *Flandriæ* perpetuo decorata, cognomen, peculiumque castrense: *Auweghemum* gentis *Triestæ*: *Nocram*, *Beveramque*, *Vichtæ*: *Mulhemum*, *Cabeliaux*: & *Peteghemum* ad *Scaldim*, *Abbatia Vestalium* *Clarana*, & pulchro palatio *Principis Flandriæ* *Guydi*, ejusque uxoris deliciis exornatum.

*Castellania Audenardensis.*

*Deinsa* *Lisæ* flumini adfidet, cujus alveo à *Deinsa*, *Polteghemio*, bono & memorabili pago, separatur. Distat autem Gandavo tribus, *Contraco* quinque plus minus leucis: oppidulum lautum, antiquum, munitum.